



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

III. Lutherana haeresis dicitur crassa; Calviniana subtilis & quomodo id sit
verum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

relinquunt quam sol occiderit; tumque è latebris suis in templis evolant, ut oleum lucernis affusum exhauriant, atque ipsas lampades extinguant. Engolismæ dum moratur Calvinus, conclavi quodam in Tiliæ ædibus, plus quatuor librorum tam impressorum quam manuscriptorum millibus instructo, fere se continuit, tam abstractus ab omni hominum consuetudine, ut etiam amicorum intimi (quod ex viris fide dignis & oculatis testibus didici) ægre ab ipso admitterentur. Tanti ocium suum faciebat.

II. Lutherus patria lingua fuit eloquentissimus, ut eius oratio plurimum ex ipso quoque solo nativæ elegantia hæsit. Quum enim in ceteris Germaniæ partibus, Franconia scilicet, Bavaria, in Rhæni tractu, Suevia & alibi Germanica lingua crassum quid & insuave sonet, sola Misnia elegantè dicendi palam omnibus præripit. Et quemadmodum Florentia in Italia, Lutetia in Gallia, Madritum in Hispania suæ quæque linguæ perfectæ elegantia commendantur; sic Lipsia primum Misniæ oppidum eadem inter ceteras omnes Germaniæ civitates laude floret: à qua, patria Lutheri Islebium non longe distat. Fuit ergo Lutherus orator quum disertus tum vehemens: in Calvino e contra quocumque è suggestu ad populum verba faceret, nihil erat quod auditoris animum allicere aut detinere posset, multa e contra quæ fastidium & nauseam afferebant, ut qui nulla actionis elegantia instructus esset, & illud suum, *Quid morer?* fere semper in ore haberet. At si quando in Catholicos, ac præsertim Ecclesiasticum ordinem linguæ fracta laxaret (quod fere semper fiebat) Deus bone, quomodo pusilli illius corpusculi iugulū sive guttur inflammabat, quomodo vocem efferebat, & quam maximum poterat exclamabat! Sæpe in has voces erumpens: *Vobis ego dixi, & vos scitis, Prophetam me esse.* De hæc eius in dicendo vehementia Beza loquens, Eos, inquit, qui viderint ac noverint quibuscumque hominibus Calvino res fuerit, optime iudicare posse, ad quid vehementia illa vere Prophetica & tum profuerit, & ad omnem posteritatem profutura sit. Sed quemadmodum Lutherus, quantum ad vernaculam utriusque linguam attinet, dicendi laude superior, scribendi Calvino æqualis fuit, ut cuius libri hodieque ab ijs qui nativam Germanicæ linguæ elegantiam discere cupiunt, legi solent: sic Calvinus latine scribendi laude excellit, ut qui à puero in litteris elegantioribus multo

maiores quam ille operam posuerat, adeoq; omnia eius linguæ myrothecia diligenter excusserat, ac stilum inde melius formarat. Uterque laboris fuit patientissimus, ut librorum ab eis scriptorum multitudo testatur. Calvinus certe ea in re vix parem habuit. nam viginti tribus illis annis quibus Genevensis Episcopatus usurpavit, quotidie concionabatur, & diebus Dominicis plerumque bis: Theologiam vero ter singula quæque hebdomada in schola prælegebat, ac feria sexta quæque disputationem, quam Collationem vocabant, habebat. Quod reliquum erat temporis libros conscribendo & ad epistolas, quæ undique ad eum tanquam ad summum hæreticorum Pontificem magno numero mittebantur, respondendo consumebat.

III. Lutherus religionem crassam & pinguem, ut ita dicam, commentus est, Calvinus subtilem & bene alembicatam. Illud à curiosis observatum est, hæreses ab Austro progressas multo subtiliores esse ijs quæ ab Aquilone prodierunt. Harum enim auctores plerique ieiunia, abstinentias, vota, celibatum & alia carni minus suavia evertenda sibi sumpserunt: illi vero, & divinam & humanam Christi naturam, processionem Spiritus Sancti, Dei omnipotentiam, corporis Christi in S. Euchariſtia præsentiam, aliaque fide magis quam sensibus comprehendenda impugnaverunt. Et quemadmodum ij qui regiones inhabitant ventis ac turbulenti infestas feroces sunt ac turbulenti qui montana incolunt, duri atque agrestes, quod ipse locorum situs & qualitas hominum animis diversos imprimat mores, ut Plato, Tertullianus, Hippocrates, Xenophon in Cyropædia, Vitruvius & alij testantur: sic constat eos qui in frigidis locis habitant multo hebetiores esse ac stupidiores ijs qui in locis præferendis morantur. Illi Baccho & Venere (hi enim plerumq; individui sunt comites), plurimum de diti sunt, corpore crasso, ingenio simplici, fere ac fraudis experte: hi vero corpus gracile habent & siccū, sed ingenium cautū, subtile, ac malitiosū. Illi in actionibus læti sunt & tardi: hi summa celeritate in omnibus utuntur. Illi religionis non ita tenaces sunt, aut certe minus religioni esse videntur, ut quibus animus non minus quàm aer ipse quæ hauriunt, frigeat, eoq; omnes religiones sibi ferendas iudicent: hi vero ut ingenia habeant ad confectionem magis disposita, sic deorum metu vel superstitione facilius ducuntur, & religiones semel susceptas magna constantia tuentur. Calvinus ergo ingenij acumine Luthero præstantior, altissima Christianæ religionis mysteria conu-

lere aggressus est, nimirum Dei benignitatē, ultimatiam atque omnipotentiam, Lutherum eo nomine irridens. Quod corporis Christi in Eucharistia presentiam, stulte (sic enim loquitur) falsus esset. Hinc in Praefatione Commentarii super Psalmos praefixa queritur, quod Germanos pietosque sibi infestos habeat, eo quod stultae ipsorum opinioni siue phantasiae de manducatione corporali in Coena Domini subscribere nolit. Idē saepe dicere solebat, nihil ferre esse quae Lutherus fecerit, nec Christianam Rempublicam plus ei debere quam viator aliquis digito viam monstranti debeat. Ipsius exemplum nequaquam imitandum esse, ut qui semipapista fuerit, multo satius fore novae Ecclesiae fundamenta iacere, quam ab ipso positis superaedificare. Et sicut praestanti sculptori facilius sit in rudi marmorea tabula perfectum aliquod opus elaborare, artisque suae excellentiam ostendere, quam ab alio conceptum ad umbilicum deducere: sic multo melius fore Ecclesiae lineamenta de novo describere, quam Lutheri exemplo, antiquae illius fugientiae sequentem vestigia, rugas explicare, maculas eluere, & pristino nitore restituere velle. Illud etiam consideratione dignum est, quod duo hi Antichristi, dum quisque sectam sibi propriam condit, infestis animis inter se concurrunt, nec alter alterum ferre potest, quamvis utriusque nomen Apocalypticum illius bestiae numerum includat. Ut enim Luther. sicut I. libro notauimus) sic Caluini quoque nomen in Hebraea lingua numerum illū sexcenta sexaginta sex, 666. praefert.

- 7 10.
- 1 6.
- 3 3.
- 1 50.
- 1 50.
- 1 100.
- 1 30.
- 1 6.
- 1 50.
- 1 50.
- 1 6.
- 3 300.

Summa 666.

Quamvis autem Caluinus alicubi in Lutheri

laudibus minime parcus videatur, ut quem Christianae religionis restauratorem appellat; illud tamen ferre minime potuit, pro altero Elia eum haberi atque honorari. Hinc eiusdem discipuli post magistri mortem hac protestatione vsi sunt, eos qui Lutherum Prophetarum numero adscribunt, & scripta ipsius pro fidei norma obrudunt, male de Iesu Christi Ecclesia mereri, & tam se quam ecclesias suas aduersariorum risui exponere.

Fatendum omnino est, Caluinum mirè prompto, alacri ac subtili fuisse ingenio, multasque in eodotes laude dignas emicuisse, nisi propinquo vitiorum infectae fuissent contagio. Lutherum quidem ad evertendam Ecclesiam constar noxium admodum fuisse instrumentum; at Caluinum multo magis. Iniuriae opinio & vindictae appetentia Lutherum pessimae haereseos auctorem fecit; ambitio & arrogantia, indiuidua & haereticarum & haereticorum comites, Caluinum multo peioris. Neque enim Caluinum quidquam aliud in arenam protraxit, quam gloriae cupiditas, ut quam pulcrum duceret, digito monstrari & dicere: hic est. Quod quidem commune fere est magnorum ingeniorum & malum & naufragium. Certe Tertullianus ait, quicumque vitae huius salum sine rationis clauo velit traicere, cauere non posse quia saeculi fluctibus in profundum tandem abripiatur. Lutherum supra audiimus, ita in initio rebellionis suae gloriantem. *Omnes, sicut, de me loquebantur, omnes me laudabant: nec quamuis exigua haec gloriola displicebat.* Quid Caluinus? Ipse recitat, quamprimum SS. litterarum gustum aliquem perciperit, & alijs dederit, omnes qui purioris doctrinae desiderio tenebantur, ad ipsum tamquam ad Apollinis oraculum accurisse; & quamuis ipse vix dum discere cepisset, ab ipso doceri voluisse. Iactat Lutherus, se primum Euangelij haecenus non intellecti lumen Mundo accendisse. Caluinus sine iactantia illud se affirmare posse ait, ad Scripturam intelligendam plus se adiumenti attulisse, quam omnes Doctores qui post Papatus initium fuerunt. In Reformationis vero formula Galliarum regi exhibita, non minus vane quam imprudenter iactat, diuini nominis honorem à se in integrum velut postliminio restitutum. Victor Caierus, qui vnus fuit ex praecipuorum olim Ministrorum numero, & pleraque secreta eius religionis perspecta habuit, in Formulario suo Reformatae, quae praeteditur, religionis, post ipsius conversionem edito, sic loquitur: *Costat Calu. publica pro cōcione Crim suggestio*